DIALOGORVM LIBER I AD LUCILIUM DE PROVIDENTIA

**I** Quaesisti a me, Lucili, quid ita, si prouidentia mundus ageretur, multa bonis uiris
mala acciderent. Hoc commodius in contextu operis redderetur, cum praeesse uniuersis
prouidentiam probaremus et interesse nobis deum; sed quoniam a toto particulam reuelli
placet et unam contradictionem manente lite integra soluere, faciam rem non difficilem,
causam deorum agam.
**2** Superuacuum est in praesentia ostendere non sine aliquo custode tantum opus stare nec
hunc siderum coetum discursumque fortuiti impetus esse, et quae casus incitat saepe turbari
et cito arietare, hanc inoffensam uelocitatem procedere aeternae legis imperio tantum rerum
terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum et ex disposito relucentium; non
esse materiae errantis hunc ordinem nec quae temere coierunt tanta arte pendere ut terrarum
grauissimum pondus sedeat inmotum et circa se properantis caeli fugam spectet, ut infusa
uallibus maria molliant terras nec ullum incrementum fluminum sentiant, ut ex minimis
**3** seminibus nascantur ingentia. Ne illa quidem quae uidentur confusa et incerta, pluuias dico
nubesque et elisorum fulminum iactus et incendia ruptis montium uerticibus effusa,
tremores labantis soli aliaque quae tumultuosa pars rerum circa terras mouet, sine ratione,
quamuis subita sint, accidunt, sed suas et illa causas habent non minus quam quae alienis
locis conspecta miraculo sunt, ut in mediis fluctibus calentes aquae et noua insularum in
**4** uasto exilientium mari spatia. Iam uero si quis obseruauerit nudari litora pelago in se
recedente eademque intra exiguum tempus operiri, credet caeca quadam uolutatione modo
contrahi undas et introrsum agi, modo erumpere et magno cursu repetere sedem suam, cum
interim illae portionibus crescunt et ad horam ac diem subeunt ampliores minoresque, prout
illas lunare sidus elicuit, ad cuius arbitrium oceanus exundat. Suo ista tempori reseruentur,
eo quidem magis quod tu non dubitas de prouidentia sed quereris.
**5** In gratiam te reducam cum dis aduersus optimos optimis. Neque enim rerum natura patitur
ut umquam bona bonis noceant; inter bonos uiros ac deos amicitia est conciliante uirtute.
Amicitiam dico? immo etiam necessitudo et similitudo, quoniam quidem bonus tempore
tantum a deo differt, discipulus eius aemulatorque et uera progenies, quam parens ille
**6** magnificus, uirtutum non lenis exactor, sicut seueri patres, durius educat. Itaque cum
uideris bonos uiros acceptosque dis laborare sudare, per arduum escendere, malos autem
lasciuire et uoluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, uernularum licentia,
illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de deo liqueat: bonum
uirum in deliciis non habet, experitur indurat, sibi illum parat.

**II** 'Quare multa bonis uiris aduersa eueniunt?' Nihil accidere bono uiro mali potest: non
miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne deiectorum imbrium, tanta
medicatorum uis fontium non mutant saporem maris, ne remittunt quidem, ita aduersarum
impetus rerum uiri fortis non uertit animum: manet in statu et quidquid euenit in suum
**2** colorem trahit; est enim omnibus externis potentior. Nec hoc dico, non sentit illa, sed uincit,
et alioqui quietus placidusque contra incurrentia attollitur. Omnia aduersa exercitationes
putat. Quis autem, uir modo et erectus ad honesta, non est laboris adpetens iusti et ad officia
**3** cum periculo promptus? Cui non industrio otium poena est? Athletas uidemus, quibus
uirium cura est, cum fortissimis quibusque confligere et exigere ab iis per quos certamini
praeparantur ut totis contra ipsos uiribus utantur; caedi se uexarique patiuntur et, si non
**4** inueniunt singulos pares, pluribus simul obiciuntur. Marcet sine aduersario uirtus: tunc
apparet quanta sit quantumque polleat, cum quid possit patientia ostendit. Scias licet idem
uiris bonis esse faciendum, ut dura ac difficilia non reformident nec de fato querantur,
quidquid accidit boni consulant, in bonum uertant; non quid sed quemadmodum feras
interest.
**5** Non uides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari iubent liberos ad studia
obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis et

interdum lacrimas excutiunt; at matres fouere in sinu, continere in umbra uolunt, numquam
6 contristari, numquam flere, numquam laborare. Patrium deus habet aduersus bonos uiros
animum et illos fortiter amat et 'operibus' inquit 'doloribus damnis exagitentur, ut uerum
colligant robur.' Languent per inertiam saginata nec labore tantum sed motu et ipso sui
onere deficiunt. Non fert ullum ictum inlaesa felicitas; at cui adsidua fuit cum incommodis
suis rixa, callum per iniurias duxit nec ulli malo cedit, sed etiam si cecidit de genu pugnat.
7 Miraris tu, si deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse atque
excellentissimos uult, fortunam illis cum qua exerceantur adsignat? Ego uero non miror, si
aliquando impetum capiunt spectandi magnos uiros conluctantis cum aliqua calamitate.
8 Nobis interdum uoluptati est, si adulescens constantis animi inruentem feram uenabulo
excepit, si leonis incursum interritus pertulit, tantoque hoc spectaculum est gratius quanto
id honestior fecit. Non sunt ista quae possint deorum in se uultum conuertere, puerilia et
9 humanae oblectamenta leuitatis: ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi
suo deus, ecce par deo dignum, uir fortis cum fortuna mala compositus, utique si et
prouocauit. Non uideo, inquam, quid habeat in terris Iuppiter pulchrius, si <eo> conuertere
animum uelit, quam ut spectet Catonem iam partibus non semel fractis stantem nihilo
10 minus inter ruinas publicas rectum. 'Licet' inquit 'omnia in unius dicionem concesserint,
custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas miles obsideat, Cato qua
exeat habet: una manu latam libertati uiam faciet. Ferrum istud, etiam ciuili bello purum et
innoxium, bonas tandem ac nobiles edet operas: libertatem quam patriae non potuit Catoni
dabit. Aggredere, anime, diu meditatum opus, eripe te rebus humanis. Iam Petreius et Iuba
concucurrerunt iacentque alter alterius manu caesi, fortis et egregia fati conuentio, sed quae
non deceat magnitudinem nostram: tam turpe est Catoni mortem ab ullo petere quam
11 uitam.' Liquet mihi cum magno spectasse gaudio deos, dum ille uir, acerrimus sui uindex,
alienae saluti consulit et instruit discedentium fugam, dum studia etiam nocte ultima tractat,
dum gladium sacro pectori infigit, dum uiscera spargit et illam sanctissimam animam
12 indignamque quae ferro contaminaretur manu educit. Inde crediderim fuisse parum certum
et efficax uulnus: non fuit dis inmortalibus satis spectare Catonem semel; retenta ac
reuocata uirtus est ut in difficiliore parte se ostenderet; non enim tam magno animo mors
initur quam repetitur. Quidni libenter spectarent alumnum suum tam claro ac memorabili
exitu euadentem? mors illos consecrat quorum exitum et qui timent laudant.

**III** Sed iam procedente oratione ostendam quam non sint quae uidentur mala: nunc illud dico, ista quae tu uocas aspera, quae aduersa et abominanda, primum pro ipsis esse quibus accidunt, deinde pro uniuersis, quorum maior dis cura quam singulorum est, post hoc uolentibus accidere ac dignos malo esse si nolint. His adiciam fato ista sic ire et eadem lege bonis euenire qua sunt boni. Persuadebo deinde tibi ne umquam boni uiri miserearis; potest enim miser dici, non potest esse.
2 Difficillimum ex omnibus quae proposui uidetur quod primum dixi, pro ipsis esse quibus
eueniunt ista quae horremus ac tremimus. 'Pro ipsis est' inquis 'in exilium proici, in
egestatem deduci, liberos coniugem ecferre, ignominia adfici, debilitari?' Si miraris haec
pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro et igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si
cogitaueris tecum remedii causa quibusdam et radi ossa et legi et extrahi uenas et quaedam
amputari membra quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant, hoc quoque
patieris probari tibi, quaedam incommoda pro iis esse quibus accidunt, tam mehercules
quam quaedam quae laudantur atque adpetuntur contra eos esse quos delectauerunt,
3 simillima cruditatibus ebrietatibusque et ceteris quae necant per uoluptatem. Inter multa
magnifica Demetri nostri et haec uox est, a qua recens sum - sonat adhuc et uibrat in
auribus meis: 'nihil' inquit 'mihi uidetur infelicius eo cui nihil umquam euenit aduersi.' Non
licuit enim illi se experiri. Vt ex uoto illi fluxerint omnia, ut ante uotum, male tamen de illo
di iudicauerunt: indignus uisus est a quo uinceretur aliquando fortuna, quae ignauissimum

quemque refugit, quasi dicat: 'quid ergo? istum mihi aduersarium adsumam? Statim arma
summittet; non opus est in illum tota potentia mea, leui comminatione pelletur, non potest
sustinere uultum meum. Alius circumspiciatur cum quo conferre possimus manum: pudet
**4** congredi cum homine uinci parato.' Ignominiam iudicat gladiator cum inferiore componi et
scit eum sine gloria uinci qui sine periculo uincitur. Idem facit fortuna: fortissimos sibi
pares quaerit, quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque et rectissimum
adgreditur, aduersus quem uim suam intendat: ignem experitur in Mucio, paupertatem in
Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, uenenum in Socrate, mortem in Catone.
Magnum exemplum nisi mala fortuna non inuenit.

**5** Infelix est Mucius quod dextra ignes hostium premit et ipse a se exigit erroris sui poenas,
quod regem quem armata manu non potuit exusta fugat? Quid ergo? felicior esset, si in sinu
amicae foueret manum?

**6** Infelix est Fabricius quod rus suum, quantum a re publica uacauit, fodit? quod bellum tam
cum Pyrrho quam cum diuitiis gerit? quod ad focum cenat illas ipsas radices et herbas quas
in repurgando agro triumphalis senex uulsit? Quid ergo? felicior esset, si in uentrem suum
longinqui litoris pisces et peregrina aucupia congereret, si conchyliis superi atque inferi
maris pigritiam stomachi nausiantis erigeret, si ingenti pomorum strue cingeret primae
formae feras, captas multa caede uenantium?

**7** Infelix est Rutilius quod qui illum damnauerunt causam dicent omnibus saeculis? quod
aequiore animo passus est se patriae eripi quam sibi exilium? quod Sullae dictatori solus
aliquid negauit et reuocatus tantum non retro cessit et longius fugit? 'Viderint' inquit 'isti
quos Romae deprehendit felicitas tua: uideant largum in foro sanguinem et supra
Seruilianum lacum (id enim proscriptionis Sullanae spoliarium est) senatorum capita et
passim uagantis per urbem percussorum greges et multa milia ciuium Romanorum uno loco
**8** post fidem, immo per ipsam fidem trucidata; uideant ista qui exulare non possunt.' Quid
ergo? felix est L. Sulla quod illi descendenti ad forum gladio summouetur, quod capita sibi
consularium uirorum patitur ostendi et pretium caedis per quaestorem ac tabulas publicas
numerat? Et haec omnia facit ille, ille qui legem Corneliam tulit.

**9** Veniamus ad Regulum: quid illi fortuna nocuit quod illum documentum fidei, documentum
patientiae fecit? Figunt cutem claui et quocumque fatigatum corpus reclinauit, uulneri
incumbit; in perpetuam uigiliam suspensa sunt lumina: quanto plus tormenti tanto plus erit
gloriae. Vis scire quam non paeniteat hoc pretio aestimasse uirtutem? refige illum et mitte
**10** in senatum: eandem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus
anxio et morosae uxoris cotidiana repudia deflenti somnus per symphoniarum cantum ex
longinquo lene resonantium quaeritur? Mero se licet sopiat et aquarum fragoribus auocet et
mille uoluptatibus mentem anxiam fallat, tam uigilabit in pluma quam ille in cruce; sed illi
solacium est pro honesto dura tolerare et ad causam a patientia respicit, hunc uoluptatibus
**11** marcidum et felicitate nimia laborantem magis iis quae patitur uexat causa patiendi. Non
usque eo in possessionem generis humani uitia uenerunt ut dubium sit an electione fati data
plures nasci Reguli quam Maecenates uelint; aut si quis fuerit qui audeat dicere
Maecenatem se quam Regulum nasci maluisse, idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam
maluit.

**12** Male tractatum Socratem iudicas quod illam potionem publice mixtam non aliter quam
medicamentum inmortalitatis obduxit et de morte disputauit usque ad ipsam? Male cum illo
actum est quod gelatus est sanguis ac paulatim frigore inducto uenarum uigor constitit?
**13** Quanto magis huic inuidendum est quam illis quibus gemma ministratur, quibus exoletus
omnia pati doctus exsectae uirilitatis aut dubiae suspensam auro niuem diluit! Hi quidquid
biberunt uomitu remetientur tristes et bilem suam regustantes, at ille uenenum laetus et
libens hauriet.

**14** Quod ad Catonem pertinet, satis dictum est, summamque illi felicitatem contigisse
consensus hominum fatebitur, quem sibi rerum natura delegit cum quo metuenda

conlideret. 'Inimicitiae potentium graues sunt: opponatur simul Pompeio, Caesari, Crasso. Graue est a deterioribus honore anteiri: Vatinio postferatur. Graue est ciuilibus bellis interesse: toto terrarum orbe pro causa bona tam infeliciter quam pertinaciter militet. Graue est manus sibi adferre: faciat. Quid per haec consequar? ut omnes sciant non esse haec mala quibus ego dignum Catonem putaui.'

**IV** Prosperae res et in plebem ac uilia ingenia deueniunt; at calamitates terroresque
mortalium sub iugum mittere proprium magni uiri est. Semper uero esse felicem et sine
2 morsu animi transire uitam ignorare est rerum naturae alteram partem. Magnus uir es: sed
unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhibendae uirtutis? Descendisti ad Olympia,
sed nemo praeter te: coronam habes, uictoriam non habes; non gratulor tamquam uiro forti,
3 sed tamquam consulatum praeturamue adepto: honore auctus es. Idem dicere et bono uiro
possum, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit in qua [una] uim animi sui
ostenderet: 'miserum te iudico, quod numquam fuisti miser. Transisti sine aduersario uitam;
nemo sciet quid potueris, ne tu quidem ipse.' Opus est enim ad notitiam sui experimento;
quid quisque posset nisi temptando non didicit. Itaque quidam ipsi ultro se cessantibus
malis optulerunt et uirtuti iturae in obscurum occasionem per quam enitesceret quaesierunt.
4 Gaudent, inquam, magni uiri aliquando rebus aduersis, non aliter quam fortes milites bello;
Triumphum ego murmillonem sub Ti. Caesare de raritate munerum audiui querentem:
'quam bella' inquit 'aetas perit!'
Auida est periculi uirtus et quo tendat, non quid passura sit cogitat, quoniam etiam quod
passura est gloriae pars est. Militares uiri gloriantur uulneribus, laeti fluentem meliori casu
sanguinem ostentant: idem licet fecerint qui integri reuertuntur ex acie, magis spectatur qui
5 saucius redit. Ipsis, inquam, deus consulit quos esse quam honestissimos cupit, quotiens
illis materiam praebet aliquid animose fortiterque faciendi, ad quam rem opus est aliqua
rerum difficultate: gubernatorem in tempestate, in acie militem intellegas. Vnde possum
scire quantum aduersus paupertatem tibi animi sit, si diuitiis diffluis? Vnde possum scire
quantum aduersus ignominiam et infamiam odiumque populare constantiae habeas, si inter
plausus senescis, si te inexpugnabilis et inclinatione quadam mentium pronus fauor
sequitur? Vnde scio quam aequo animo laturus sis orbitatem, si quoscumque sustulisti
uides? Audiui te, cum alios consolareris: tunc conspexissem, si te ipse consolatus esses, si
6 te ipse dolere uetuisses. Nolite, obsecro uos, expauescere ista quae di inmortales uelut
stimulos admouent animis: calamitas uirtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros
qui nimia felicitate torpescunt, quos uelut in mari lento tranquillitas iners detinet: quidquid
7 illis inciderit, nouum ueniet. Magis urgent saeua inexpertos, graue est tenerae ceruici
iugum; ad suspicionem uulneris tiro pallescit, audacter ueteranus cruorem suum spectat, qui
scit se saepe uicisse post sanguinem. Hos itaque deus quos probat, quos amat, indurat
recognoscit exercet; eos autem quibus indulgere uidetur, quibus parcere, molles uenturis
malis seruat. Erratis enim si quem iudicatis exceptum: ueniet <et> ad illum diu felicem sua
portio; quisquis uidetur dimissus esse dilatus est.
8 Quare deus optimum quemque aut mala ualetudine aut luctu aut aliis incommodis adficit?
quia in castris quoque periculosa fortissimis imperantur: dux lectissimos mittit qui nocturnis
hostes adgrediantur insidiis aut explorent iter aut praesidium loco deiciant. Nemo eorum qui
exeunt dicit 'male de me imperator meruit', sed 'bene iudicauit'. Idem dicant quicumque
iubentur pati timidis ignauisque flebilia: 'digni uisi sumus deo in quibus experiretur
quantum humana natura posset pati.'
9 Fugite delicias, fugite eneruantem felicitatem qua animi permadescunt et, nisi aliquid
interuenit quod humanae sortis admoneat, <marcent> uelut perpetua ebrietate sopiti. Quem
specularia semper ab adflatu uindicaverunt, cuius pedes inter fomenta subinde mutata
tepuerunt, cuius cenationes subditus et parietibus circumfusus calor temperauit, hunc leuis
10 aura non sine periculo stringet. Cum omnia quae excesserunt modum noceant,

periculosissima felicitatis intemperantia est: mouet cerebrum, in uanas mentem imagines
euocat, multum inter falsum ac uerum mediae caliginis fundit. Quidni satius sit perpetuam
infelicitatem aduocata uirtute sustinere quam infinitis atque inmodicis bonis rumpi? lenior
ieiunio mors est, cruditate dissiliunt.
**11** Hanc itaque rationem di sequuntur in bonis uiris quam in discipulis suis praeceptores, qui
plus laboris ab iis exigunt in quibus certior spes est. Numquid tu inuisos esse
Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice uerberibus
admotis? Ipsi illos patres adhortantur ut ictus flagellorum fortiter perferant, et laceros ac
**12** semianimes rogant, perseuerent uulnera praebere uulneribus. Quid mirum, si dure
generosos spiritus deus temptat? numquam uirtutis molle documentum est. Verberat nos et
lacerat fortuna: patiamur. Non est saeuitia, certamen est, quod <quo> saepius adierimus,
fortiores erimus: solidissima corporis pars est quam frequens usus agitauit. Praebendi
fortunae sumus, ut contra illam ab ipsa duremur: paulatim nos sibi pares faciet, contemptum
**13** periculorum adsiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura,
agricolis manus tritae, ad excutienda tela militares lacerti ualent, agilia sunt membra
cursoribus: id in quoque solidissimum est quod exercuit. Ad contemnendam patientiam
malorum animus patientia peruenit; quae quid in nobis efficere possit scies, si aspexeris
**14** quantum nationibus nudis et inopia fortioribus labor praestet. Omnes considera gentes in
quibus Romana pax desinit, Germanos dico et quidquid circa Histrum uagarum gentium
occursat: perpetua illos hiemps, triste caelum premit, maligne solum sterile sustentat;
imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimentum
**15** feras captant. Miseri tibi uidentur? nihil miserum est quod in naturam consuetudo perduxit;
paulatim enim uoluptati sunt quae necessitate coeperunt. Nulla illis domicilia nullaeque
sedes sunt nisi quas lassitudo in diem posuit; uilis et hic quaerendus manu uictus, horrenda
**16** iniquitas caeli, intecta corpora: hoc quod tibi calamitas uidetur tot gentium uita est. Quid
miraris bonos uiros, ut confirmentur, concuti? non est arbor solida nec fortis nisi in quam
frequens uentus incursat; ipsa enim uexatione constringitur et radices certius figit: fragiles
sunt quae in aprica ualle creuerunt. Pro ipsis ergo bonis uiris est, ut esse interriti possint,
multum inter formidolosa uersari et aequo animo ferre quae non sunt mala nisi male
sustinenti.

**V** Adice nunc quod pro omnibus est optimum quemque, ut ita dicam, militare et edere
operas. Hoc est propositum deo quod sapienti uiro, ostendere haec quae uulgus adpetit,
quae reformidat, nec bona esse nec mala; apparebit autem bona esse, si illa non nisi bonis
**2** uiris tribuerit, et mala esse, si tantum malis inrogauerit. Detestabilis erit caecitas, si nemo
oculos perdiderit nisi cui eruendi sunt; itaque careant luce Appius et Metellus. Non sunt
diuitiae bonum; itaque habeat illas et Elius leno, ut homines pecuniam, cum in templis
consecrauerint, uideant et in fornice. Nullo modo magis potest deus concupita traducere
**3** quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. 'At iniquum est uirum bonum debilitari
aut configi aut alligari, malos integris corporibus solutos ac delicatos incedere.' Quid porro?
non est iniquum fortes uiros arma sumere et in castris pernoctare et pro uallo obligatis stare
uulneribus, interim in urbe securos esse praecisos et professos inpudicitiam? Quid porro?
non est iniquum nobilissimas uirgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno
**4** inquinatas frui? Labor optimos citat: senatus per totum diem saepe consulitur, cum illo
tempore uilissimus quisque aut in campo otium suum oblectet aut in popina lateat aut
tempus in aliquo circulo terat. Idem in hac magna re publica fit: boni uiri laborant,
inpendunt, inpenduntur, et uolentes quidem; non trahuntur a fortuna, sequuntur illam et
**5** aequant gradus; si scissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetri fortissimi uiri
uocem audisse me memini: 'hoc unum' inquit 'de uobis, di inmortales, queri possum, quod
non ante mihi notam uoluntatem uestram fecistis; prior enim ad ista uenissem ad quae nunc
uocatus adsum. Vultis liberos sumere? uobis illos sustuli. Vultis aliquam partem corporis?

sumite: non magnam rem promitto, cito totum relinquam. Vultis spiritum? quidni nullam
moram faciam quominus recipiatis quod dedistis? A uolente feretis quidquid petieritis.
Quid ergo est? maluissem offerre quam tradere. Quid opus fuit auferre? accipere potuistis;
sed ne nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur nisi retinenti.'
**6** Nihil cogor, nihil patior inuitus, nec seruio deo sed assentior, eo quidem magis quod scio
**7** omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt et quantum cuique
temporis restat prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa, priuata ac publica
longus ordo rerum trahit: ideo fortiter omne patiendum est quia non, ut putamus, incidunt
cuncta sed ueniunt. Olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas, et quamuis magna
uideatur uarietate singulorum uita distingui, summa in unum uenit: accipimus peritura
**8** perituri. Quid itaque indignamur? quid querimur? ad hoc parati sumus. Vtatur ut uult suis
natura corporibus: nos laeti ad omnia et fortes cogitemus nihil perire de nostro. Quid est
boni uiri? praebere se fato. Grande solacium est cum uniuerso rapi; quidquid est quod nos
sic uiuere, sic mori iussit, eadem necessitate et deos alligat. Inreuocabilis humana pariter ac
diuina cursus uehit: ille ipse omnium conditor et rector scripsit quidem fata, sed sequitur;
**9** semper paret, semel iussit. 'Quare tamen deus tam iniquus in distributione fati fuit ut bonis
uiris paupertatem et uulnera et acerba funera adscriberet?' Non potest artifex mutare
materiam: †hoc passa est†. Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent,
indiuidua sunt. Languida ingenia et in somnum itura aut in uigiliam somno simillimam
inertibus nectuntur elementis: ut efficiatur uir cum cura dicendus, fortiore fato opus est.
Non erit illi planum iter: sursum oportet ac deorsum eat, fluctuetur ac nauigium in turbido
regat. Contra fortunam illi tenendus est cursus; multa accident dura, aspera, sed quae
**10** molliat et conplanet ipse. Ignis aurum probat, miseria fortes uiros. Vide quam alte
escendere debeat uirtus: scies illi non per secura uadendum.

> Ardua prima uia est et quam uix mane recentes
> enituntur equi; medio est altissima caelo,
> unde mare et terras ipsi mihi saepe uidere
> sit timor et pauida trepidet formidine pectus.
> ultima prona uia est et eget moderamine certo;
> tunc etiam quae me subiectis excipit undis,
> ne ferar in praeceps, Tethys solet ima uereri. [Ov. *met.* 2.63-69]

**11** Haec cum audisset ille generosus adulescens, 'placet' inquit 'uia, escendo; est tanti per ista
ire casuro.' Non desinit acrem animum metu territare:

> utque uiam teneas nulloque errore traharis,
> per tamen aduersi gradieris cornua tauri
> Haemoniosque arcus uiolentique ora leonis. [*ibid.* 79-81]

Post haec ait: 'iunge datos currus: his quibus deterreri me putas incitor; libet illic stare ubi ipse Sol trepidat.' Humilis et inertis est tuta sectari: per alta uirtus it.

**VI** 'Quare tamen bonis uiris patitur aliquid mali deus fieri?' Ille uero non patitur.
Omnia mala ab illis remouit, scelera et flagitia et cogitationes inprobas et auida consilia et
libidinem caecam et alieno imminentem auaritiam; ipsos tuetur ac uindicat: numquid hoc
quoque aliquis a deo exigit, ut bonorum uirorum etiam sarcinas seruet? Remittunt ipsi hanc
**2** deo curam: externa contemnunt. Democritus diuitias proiecit, onus illas bonae mentis
existimans: quid ergo miraris, si id deus bono uiro accidere patitur quod uir bonus
aliquando uult sibi accidere? Filios amittunt uiri boni: quidni, cum aliquando et occidant?
In exilium mittuntur: quidni, cum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquant?

**3** Occiduntur: quidni, cum aliquando ipsi sibi manus adferant? Quare quaedam dura
patiuntur? ut alios pati doceant; nati sunt in exemplar. Puta itaque deum dicere: 'quid
habetis quod de me queri possitis, uos quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi
et animos inanes uelut longo fallacique somnio lusi: auro illos et argento et ebore adornaui,
**4** intus boni nihil est. Isti quos pro felicibus aspicis, si non qua occurrunt sed qua latent
uideris, miseri sunt, sordidi turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti;
non est ista solida et sincera felicitas: crusta est et quidem tenuis. Itaque dum illis licet
stare et ad arbitrium suum ostendi, nitent et inponunt; cum aliquid incidit quod disturbet ac
**5** detegat, tunc apparet quantum altae ac uerae foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis
dedi bona certa mansura, quanto magis uersauerit aliquis et undique inspexerit, meliora
maioraque; permisi uobis metuenda contemnere, cupiditates fastidire; non fulgetis
extrinsecus, bona uestra introrsus obuersa sunt. Sic mundus exteriora contempsit spectaculo
sui laetus. Intus omne posui bonum; non egere felicitate felicitas uestra est.
**6** "At multa incidunt tristia horrenda, dura toleratu." Quia non poteram uos istis subducere,
animos uestros aduersus omnia armaui: ferte fortiter. Hoc est quo deum antecedatis: ille
extra patientiam malorum est, uos supra patientiam. Contemnite paupertatem: nemo tam
pauper uiuit quam natus est. Contemnite dolorem: aut soluetur aut soluet. Contemnite
mortem: quae uos aut finit aut transfert. Contemnite fortunam: nullum illi telum quo feriret
**7** animum dedi. Ante omnia caui ne quis uos teneret inuitos; patet exitus: si pugnare non
uultis, licet fugere. Ideo ex omnibus rebus quas esse uobis necessarias uolui nihil feci
facilius quam mori. Prono animam loco posui: †trahitur† adtendite modo et uidebitis quam
breuis ad libertatem et quam expedita ducat uia. Non tam longas in exitu uobis quam
intrantibus moras posui; alioqui magnum in uos regnum fortuna tenuisset, si homo tam
**8** tarde moreretur quam nascitur. Omne tempus, omnis uos locus doceat quam facile sit
renuntiare naturae et munus illi suum inpingere; inter ipsa altaria et sollemnes
sacrificantium ritus, dum optatur uita, mortem condiscite. Corpora opima taurorum exiguo
concidunt uulnere et magnarum uirium animalia humanae manus ictus inpellit; tenui ferro
commissura ceruicis abrumpitur, et cum articulus ille qui caput collumque committit
**9** incisus est, tanta illa moles corruit. Non in alto latet spiritus nec utique ferro eruendus est;
non sunt uulnere penitus inpresso scrutanda praecordia: in proximo mors est. Non certum
ad hos ictus destinaui locum: quacumque uis peruium est. Ipsum illud quod uocatur mori,
quo anima discedit a corpore, breuius est quam ut sentiri tanta uelocitas possit: siue fauces
nodus elisit, siue spiramentum aqua praeclusit, siue in caput lapsos subiacentis soli duritia
comminuit, siue haustus ignis cursum animae remeantis interscidit, quidquid est, properat.
Ecquid erubescitis? quod tam cito fit timetis diu!'.